



# De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt V. De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes sunt: vbi de mancipijs, venatione, piscatione, aucupio, thesauris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

& clarius q.73.a.4.ad 1. vbi docet, in cuiusque arbitrio esse pat. detrimentum sue fame, nisi hoc verget in detrimentum aliorum. Idem docet Sotus libro 4. de Iustitia q.2.a.3. & Adrian.in 4. quæst. de restitutione, circa finem. Couar. l.2. variarum c.2. num.8.& alij recentiores.

Probatur Primò, quia homo famam & honorem, post vitam diuinitus acceptam, sibi acquirit & auget, sicut res ceteras: ergo est illius dominus vt ceterarum.

Secundò, Quia nisi esset dominus, non posset eius restitutionem condonare: (nemo enim condonare potest quod non est suum) atqui certum est posse condonare eius restitutionem. Nec obstat (quod contra hanc rationem obiicit Adrian.) quòd possimus condonare mutilatione membri, cuius tamè non sumus domini: quia si membrum posset restitui sicut fama, non possemus condonare. quòd igitur condonamus, est satisfactio pro illata iniuria, & restitutio pecuniaria pro damno secuto: non autem propriè restitutio membri.

Tertiò, quia in multis casibus possumus nos in famam. Primò, ad petendum consilium. Secundò, ad nostri humiliationem, sicut Iatro ille apud Climacum Gradu 4: qui publicè grauissima crimina confessus est. Tertiò, ad vitandum peccatum superbia vel aliud. Quartò, quando iniuste aliquem infamauimus, tenemur restituere ipsi famam, etiam cum nostra infamia, si opus est; atqui si non essemus famæ domini, nihil horum liceret: sicut non licet seipsum occidere, mutilare, vulnerare, ob horum finium aliquem.

Contrà obiicitur Primò, Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine, &c. ergo non licet famam negligere. Resp. Non licet eam negligere sine iusta ratione: hinc tamen non sequitur, hominem non esse eius dominum: quia etiam pecuniæ sine iusta causa profundi non debent.

Obiicitur Secundò, D. August. lib. de Bono viduitatis cap. 22. dicit, conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse qui famam negligit.

Resp. Fama nostra tripliciter potest esse proximi necessaria. Primò, quando ex nostra fama ita pender, fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia sequatur: sicuti ex infamia Monachi sequitur infamia quædam monasterij. Secundò, quando fama nostra est necessaria vt proximo præstemus officium ei stricto iure debitum, sicut fama personæ publicæ, Episcopi, Parochi, Abbat, necessaria est vt bene regat subditos. & in his duobus euentis, multorum iudicio contra Iustitiam peccat, qui se infamat: non quia præcisè se ipsum fama priuat; sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium. Tertiò, quando non ex officio, sed solum ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti; tunc solum contra charitatem peccat, qui se infamat: sicut contra charitatem peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat, abiicit. Hæc de dominio vitæ & famæ; cetera dicentur infra cap.9. de Homicidio. & cap.11. de Detractione.

60  
Tripliciter fama nostra proximi necessaria.

CAPVT QVINTVM.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes sunt: vbi de mancipiis, venatione, piscatione, aucupio, thesauris.

Constat Dubitationibus 18.

DVBITATIO PRIMA.

Quomodo facta sit prima rerum diuisio seu distinctio dominiorum.

DVBITATIO II.

Utrum hæc diuisio dominiorum licita fuerit, & commoda humano generi.

D. Thom. quæst. 66. art. 1. 2.

Resp. Post peccatum hæc dominiorum diuisio non solum fuit licita, sed etiam salutaris generi humano.

Quòd licita fuerit, est certò tenendum. Nam ex multis Scripturæ locis constat, licitè aliquid tamquam proprium possideri: & contrarium est hæresis quorundam, qui vocati sunt Apostolici, vt refert D. Aug. hæresi 40. & Epiphanius hæresi 61. qui asserbant hominè non posse saluari, nisi viueret

D 3 instat



Occupatio. Sortitio.

RESPONDEO, Hæc distinctio facta est partim occupatione, partim sortitione. hi enim sunt primi modi acquirendi dominij. Nam posteri Adæ in hunc mundum veluti in amplissimam domum opibus refertam venientes, vt quisque prior aliquid occupasset, ita quoque dominus illius efficiebatur. quòd si dubium erat vter prior occupasset, vel si ante occupationem plures ad idem aspirabant, sorte decidebatur. Similiter post diluuium, filij Noè alij aliam terræ partem, maxime post linguarum confusionem occupauere, vel sorte diuisere; vt patet Genes. 10. & 11. Deinde crescente genere humano, illæ partes multipliciter rursus, & propè in infinitum scèctæ, diuisæ & distractæ sunt.

Apostolici in star Apostolorum, nudus ab omni diuitiarum proprietate. Idem docuit Pelagius, vt colligitur ex Augustino epist. 106. quæ est ad Paulinum.

Quod etiam commoda generi humano, Probatur Primò, Si possessiones mansissent communes, relictæ fuissent incultæ; tum quia homines facile negligunt communia, tamquam parum ad se pertinentia; maxime autem curant propria, iuxta illud Aristotelis, *Amabile bonum cuique autem proprium*: tum quia quisque fugit labores, præsertim abiectos & graues, (quales sunt in agricultura & rebus mechanicis) sectaturque otium & dignitatem quamobrem quisque alteri talium rerum curam & procuracionem reliquisset.

Secundò, Si mansissent communes, mundus arderet perpetuis contentionibus & bellis: quia plerumque plures concurrerent ad eandem rem occupandam, qui se mutuo conarentur impedire: & potentiores plerumque omnia raperent. nec *meum & tuum* (quæ dicuntur esse potissima causa dissensionum) tunc minus fuissent quam modò: quisque enim conatus fuisset rem communem, dum ea vtendum esset, facere suam; sicque assidua rixæ & pugnae inter homines exitissent. his incommodis per diuisionem vticumque occursum est: multò enim pauciores & rariores sunt nunc occasiones, quam tunc fuissent: (vnde Genes. 13. cum essent iurgia coorta inter familiam Abrahæ & Lot communiter pascentes, diuisione regionis conciliati sunt) quamuis ob hominum prauitatem non omnia incommoda vitari potuerint. Denique idipsum Aristoteles lumine naturæ ductus docuit lib. 2. Polit. c. 2. & 3.

Obicitur Primò, *Iure naturæ omnia sunt communia*, vt habetur cap. Ius naturale, d. 1. ergo etiam post peccatum omnia debent esse communia.

Respondent quidam, in statu innocentie omnia Iure naturæ debuissent esse communia, sed hoc ius post lapsum esse reuocatum, & ideo potuisse fieri diuisionem. Colligitur ex Scoto in 4. d. 15. q. 2. a. 1. conclus. 1. & 2. Sed contra Primò, quia etiam communitas rerum valde fuerit consona statui innocentie; nullo tamen præcepto diuino vel naturali vetabantur inducere diuisionem: quia Deus res istas inferiores hominum dispositioni subiecit, & ex hac diuisione nihil incommodi secutum fuisset. nam singulis relictum fuisset quod abundè sufficeret: & quibus cum altero libentissimè ex rebus suis communicasset. Secundò, non rectè dicitur Ius naturæ abrogatum: tum quia est immutabile & perpetuum, vt pote immutabilem rectitudinem continens: tum quia Ius non dicitur reuocari ex eo quòd cesserit eius obligatio in aliquo ratione aliquid circumstantiæ mutata: (alioquin Ius naturale, quo teneor optulari in extrema necessitate constituto, reuocatur eo ipso quo cessat illa necessitas, quod est absurdum; semper enim manet illud ius & illud dictamen, etiam defectu materiæ hinc & nunc non me obliget actu) sed quia cessat voluntate legislatoris, qui manentibus iisdem circumstantiis materiæ, potest illud tollere. hoc enim interest inter Ius naturale & positiuum, quòd Ius naturale semper vim habeat, manentibus iisdem circumstantiis materiæ; Ius positiuum possit tolli, etiam si nulla mutatio fiat circa materiam.

4 Respondeo igitur, non fuisse aliquod præceptum naturale iubens rerum communitatem & vetans diuisionem: sed omnia dicuntur *Iure natura*

*Iure natura*, partim negatiuè, quia *Ius nature* diuisionem non fecit, aut præcepit: partim positiuè, quia omnibus potestatem fecit vtendi quauis re, & dominijs capiendi, priusquam ab aliquo sit occupata, quod Ius etiamnum durat.

Obicitur 2. Cap. Dilectissimis, 12. q. 1. dicit Clemens I. *Communis vltus omnium, que sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio*. Respondeo, omnis varijs expolitionibus, sensum esse, per iniquitatem hominum fuisse occasione datam cur recta ratio dicitur esse faciendam diuisionem, cum ante iniquitatem omnia essent communia. Canon enim iste acceptus est ex epistola 5. S. Clementis, qua hortatur Fideles, qui erant Ierosolymis, ad vitam communem, ex eo quòd sit consentanea statui innocentie, vbi non erat *meum & tuum*; rerum autem diuisio orta fit occasione peccati.

Obicitur Tertio, Patres dicunt neminem debere dicere, *Hoc est meum, hoc est proprium*; eo quòd omnia sunt communia. ita Ambros. in cap. 12. Lucae, Chrylost. Hom. 10. in Epist. 1. ad Corinth. in moral. & Orat. in S. Philogonium, &c. Respondeo, Tantum volunt, neminem ita sibi rem aliquam debere vindicare, quin paratus sit eam, quando necesse erit, cum altero communicare, eò quòd in necessitate omnia sint communia. de quo plura supra, de eleemosyna. q. 3. 2.

DVBITATIO III.

Quo Iure facta sit hæc diuisio.

Resp. & Dico Primò, non esse factam Iure diuino. Deus enim neq; fecit diuisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israëlitis spolia Aegyptiorum, & regna Chanaitarum; hoc tamen factum est præter vtitatum morem. Denique Deus nusquam in Scripturis reuelauit hanc diuisionem esse faciendam.

Dico Secundò, non esse etiam facta propriè Iure naturali. Probatur, quia Ius naturæ neque fecit hanc diuisionem, cum omnia reliquerit communia; neque etiam præcepit eam fieri, neque natura secundum se ad eam inclinat: non enim illam quaerit, nisi in vita ciuili, vbi viuendum cum alijs, & suppositis incommodis ex hominum prauitate prouenientibus. Hac ratione matrimonium dicitur esse Iuris naturæ; nimirum quia natura secundum se, id est, extra vitam politicam, & sepositis externis incommodis calibaus, ad illud inclinatur non sic ad rerum diuisionem.

Dico Tertio, Hæc diuisio facta est Iure gentium, vt habetur d. 1. cap. *Ius gentium est sedium occupatio*. & 7. de Iustitia & Iure. L. *Ex hoc iure dominia dicuntur facta*, &c. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi sit aliquod præceptum apud omnes, sed quia commune omnium iudicium est, diuisionem rerum expedire tum ad pacem, tum ad meliorem rerum administrationem; idque spectata mortaliū conditione, quæ sui est amans, & alieni negligens; quæ cupiditati & ambitioni miserè est subiecta. Itaque hoc *Ius gentium* nihil est aliud quam commune hominum iudicium, & gentium consensus: vel est concessio & ius ex communi iudicio & consensu proueniens. Et quia hæc vitia plerumque in genere humano regnant apud omnes nationes; ideo expedientissimum fuit apud omnes fieri

Maiores effectus si res mansissent communes.

Obiectiones.

Sententia Scoti.

In statu innocentie communitas rerum non fuit præcepta.

Ius naturæ non potest abrogari.

Quo modo omnia dicuntur Iure natura communia.

5

6

7

8

9

Quomodo dicitur facta Iure gentium.

Quid intelligitur per Ius gentium.

Communi-  
tas rerum  
ubi sit ex-  
pediens.

fieri diuisionem. Vnde sequitur, si in aliquo cœtu, dono supernaturali hæc vitia possint tolli, vel comprimî vt non dominantur, Ius gentium ibidem non postulare, aut magis expedientem censere rerum diuisionem, sed potius earundem communiatem, qualis erat in statu innocentie: præsertim cum multa alia ex hac sequantur commoda; temperantia, modestia, tranquillitas animi, vacuitas sollicitudinis rerum temporalium, mentis ad res diuinas & ad studium sapientie expeditio: hoc modo Fideles, Ecclesie primordio omnia habuerunt communia, maxime Ierosolymis & Alexandria. Idem seruatur, & quidem perfectius, in Monasteriis & cœtib; Religioforum; qui cum ex multitudine sint selecti, & toti rebus diuinis mancipati, facilius illa vitia, quæ diuisionem rerum postulant, deuitare queunt. quare merito inter eos, vt omnia sint communia, statuitur.

Obiectio-  
nes.

IO  
Dicitur  
aliquando  
Ius natu-  
rale.

Obijcitur Primò, Insti. de rerum diuisione. §. Ferae, dicitur, *Id quod ante nullius est, naturali ratione conceditur occupanti.* ergo diuisio facta Iure naturali. Respondeo 1. *Ius gentium* interdum vocari *Ius naturale*, vt dicitur §. precedenti eodem tit. 2. aliud est res esse diuidendas, aliud rem fieri occupantis. quod enim res, quæ nullius est (præsertim fera vel gemma, cuius possessio alteri non adfert incommodum) fiat occupantis, est Iuris naturæ. nam etiam in statu innocentie locum habuisset, quod verò facienda sit rerum diuisio, est Iuris gentium.

Obijcitur Secundò, Furtum est contra Ius naturæ: ergo dominium rei competit alteri Iure naturæ. Resp. negando consequentiam, quia Ius naturale dicitur nihil alteri inuito auferendum, quocumque iure illi id competat. Sicut etiam iubet Superiori obediendum, etiam si illa potestas ei nisi Iure humano non competat.

Obijcitur Tertio, Id est Iuris naturæ, quod ratio naturalis dicitur omnino necessarium ad pacem generis humani: sed diuisio rerum est huiusmodi: ergo est Iuris naturæ. Resp. 1. Concedi posse illam hac ratione esse Iuris naturæ; quamuis alio modo negetur esse Iuris naturæ. 2. Naturalis ratio non dicitur id esse omnino necessarium: posset enim in singulis communitatibus institui politia, secundum quam pax omnia maneret communia: vt fit apud Anabaptistas in Morauia. excipe tamen vxores, quas illi fœdè nimis contra omnia Iura communes faciunt.

Obijcitur Quarto, *Quod hæc villa sit mea, & illa tua, est ex iure Imperatorum*, vt inquit Augustinus tractatu 6. in Ioannem; ergo non Iure gentium. Respondeo, Diuisio rerum in genere est Iuris gentium, non autem huius vel illius rei variis personis particularibus facta attributio. Hæc enim prouenit vel ex prima occupatione, vel ex variis contractibus, alijsve modis Iure ciuili approbatis.

DUBITATIO IV.

Quibus modis acquiratur dominium in homines seu mancipia.

12 Resp. Quatuor modis seu titulis, Iure belli, naturitate iusta condemnatione, & emptione; vt rectè docet Siluester verbo Seruitus q. 3.

Primus Titulus est *Ius belli*, i. in bellis seruari

consuetum, & communi gentium consuetudine receptum; quo non quidem præcipitur, sed datur potestas ei, qui aliquem in bello iusto capit, vt vindicet illum sibi in seruum. vt patet L. Hostes. de captiuis. cuius Iuris institutio profecta est ex naturali quadam commiseratione; ne capti occiderentur, (cum tamen meritò possent occidi) sed seruarentur, morte in seruitutem commutata. vnde & serui dicti sunt. Insti. de Iure personarum. Extenditur hoc Ius etiam ad paruulos hostium & innocentes; qui etsi non peccarint, tamen seruituti possunt addici tamquam hostilis Reipub. membra, quæ vt commodis, ita & incommodis sui corporis participant, in bonis præsertim externis. Vnde cum in his etiam censeatur libertas, hæc spoliari possunt. accedit quòd hac ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in suis puniantur. sed de his plura 2. 2. quæstione 40. Apud Christianos tamen consuetudine introductum vt Christiani capti à Christianis non fiant serui; idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti. si tamen bellum iniustum gerant contra infideles & capiantur, fiunt eorum serui Iure gentium. Vide Couar. in reg. Peccatum 2. p. §. ii. num. 6.

Vnde ser-  
uitus iure  
belli.

Innocentes  
in seruitu-  
tem rapi  
possunt.

Aduerte tamen, eum, qui in bello ex parte sua iusto capitur, non contrahere veram seruitutem. quòd si vtrinq; iustitia belli sit ambigua ob probabile Ius vtriusque partis, capti vtriusque fiunt serui; vt rectè Couar. ex lege suprascripta. vbi tamen constare cœperit vtri parti faueat iustitia, tunc ea pars, quæ iniuste cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere.

Secundus Titulus est *Natiuitas*: ratione cuius efficitur seruus, qui ex ancilla natus est: nam partus sequitur ventrem, L. Partum. Cod. de rei vindicatione. idque merito, quia mater est certior: & plus confert materie corpulentæ quàm pater: seruitus autem secundum corpus conuenit.

13

Notandum tamen, si mater fuit libera quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum & partum (etsi vel ad momentū) proles Iure Cæsareo non contrahit seruitutem; vt expressè habemus Institut. de Ingeniis. §. Sed & si quis. Ratio est; quia hoc ipso momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati est restituta. vnde calamitas matri superueniens, non debet nocere proli libertatem assecuta; præsertim cum causa libertatis sit maxime fauorabilis.

Proles  
quando  
non con-  
trahat ser-  
uitutem.

Vbi tamen nulla est lex vel consuetudo disponens de seruitute prolis, sufficit vt mater in partu sit ancilla: quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Ita seruari dicitur apud plerasque gentes, quæ Iure communi Cæsareo non viuuntur.

Tertius Titulus est *Iusta condemnatio*, qua quis fit seruus, si ad hoc propter crimen à legitimo Iudice condemnatur. Sicut enim potest quis morte damnari; ita etiam seruitute, quæ mors est ciuilis. Sic qui deferunt arma vel alia prohibita ad Turcas vel Saracenos; fiunt serui Christianorum eos capientium. c. Ita quorumdam, 6. tit. de Iudæis & Saracenis. Raptor puellæ in seruitutem deditur. 36. quæst. 1. cap. De raptoribus. Femina quæ sciens contraxerit matrimonium cum eo, qui sacro Ordine initiatus est, potest à Principe in seruitutem rapi. cap. Eos qui. d. 32. filij autem ex tali coniugio

14  
Pena ser-  
uitutis.

suscepti efficiuntur serui Ecclesiae, cui parens inscriptus erat, 15. q. 8. c. Cum multae. Quae omnia intellige post sententiam Iudicis: ante enim illam poena seruitutis legibus statuta non incurritur. Vide Silu. supra q. 3.

15 Quartus Titulus est *emptionis & venditionis*. loquor de illa emptione, qua quis primò fit seruus ex libero; vt quando quis vel seipsum vendit, vel à parentibus venditur.

Potest quis seipsum vendere.

Quòd autem homo liber possit seipsum vendere, probatur: quia est dominus suae libertatis, sicut fama & pecunia: ergo eam potest liberè abdicare. quod Confirmatur exemplo tum S. Paulini, qui se vendi in seruum voluit, vt filium viduae redimeret: tum eorum, qui Religionem ingrediuntur, qui non solum bona externa, sed etiam Libertatem suam abdicant propter Christum: quamuis hi non efficiantur serui; eò quòd hoc non faciant in commodum Praelati temporale, sed suum spirituale. Idem aperte colligitur Exodi 21. & Deut. 15. vbi conceditur Hebraeo, vt se sponte possit alteri in perpetuum seruum tradere.

Vnde patet, iure naturae hominem liberum posse suam libertatem vendere vel donare. vt tamen id fiat sine peccato, debet adesse iusta aliqua causa: alioquin esset profusio libertatis, quae bonis fortunae & fama est praestantior.

16 Aduerte tamen, iure communi, in fauorem libertatis requiri 6. condiciones vt haec venditio sit rata. 1. Vt is qui se patitur vendi, sit maior viginti annis. 2. Vt intendat esse particeps pretij. 3. Vt repta sit particeps. 4. Vt emptor credat ipsum esse seruum. Vnde non permittit Ius vt quis seipsum per se vendat, sed vt id per alium fiat. 5. Vt sciat se esse liberum ante venditionem. 6. Vt venditor sciat ipsum esse liberum. His omnibus conditionibus simul concurrentibus, venditio est valida: si vel vna desit, iure communi est irrita. Vide Sil. verbo Seruitus q. 3. vbi tamen iure Caesareo non vniuntur, potest quis seipsum liberè vendere, nulla habita ratione istarum conditionum.

17 Quòd verò etiam parentes possint iure naturae vendere proles non emancipatas, colligitur Exodi 21. v. 7. Ratio est; quia proles est vetui pars & fructus parentis, trahens ab ipso esse & vita. vnde parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta quae ipsa de se, si sui iuris esset, percipere posset. atqui ipsa si esset sui iuris, posset se vendere: ergo, &c.

18 Ius tamen ciuile requirit certas condiciones, vt patet L. 2. C. de patribus qui filios distraxerunt. Primò, vt id fiat per nimiam paupertatem & victus causa, vt illa lex ait. quòd si ob aliam causam pretio filij egeat, v. g. ad se redimendum à morte vel seruitute, vel perpetua captiuitate, non poterit filium vendere, nec obsidem dare, vt docet Couar. l. 3. variat. c. 14. n. 4. ex Accursio, Dyno, & Alciato; quia lex illa 2. id tantum concedit victus causa. Si tamen nudum Ius naturae spectemus, poterit ob quamuis grauem necessitatem. Secundò, vt soli patri hoc liceat: tamen iure naturae etiam licitum matri. Tertio, vt solum possit vendere filium nondum emancipatum. qui enim sui Iuris est effectus, non subest amplius patriae potestati. Quarto, vt filius ita venditus possit recuperare libertatem, soluto pretio, vel oblato alio mancipio, perinde ac si numquam fuisset seruus; ita habetur L. 2. supra. Vide Couar. loco citato.

DUBITATIO V.

Utrum serui ita transeant in dominorum potestatem, vt non possint fugere.

18 Respondeo, & Dico Primò, Certum est posse fugere si non sint iuste in seruitutem tracti; in iuste ad- nec solum fugere, sed etiam vi repellere impedi- dii serui- tes, & surripere à suis dominis quantum satis ad compensationem iniuriae, & operae praestitae; imò quantum possunt, si adhuc duret bellum quod ex parte capientium sit iniustum. quia tunc possunt hoc modo nocere hosti, ex tacito Principis iustum bellum gerentis consensu, vt rectè notat Molina. Sic Christiani à Turcis capti possunt eos spoliare & fugam capessere.

Dico Secundò, Si à domino incitentur ad ali- 19 quod peccatum, qui rogatus nolit desistere; vel si inhumaniter tractentur, fugere possunt. Prior pars constat; quia non tenentur cum periculo animae suae (ob quod etiam maximè coniuncti deferendi, iuxta illud, Si oculus tuus scandalizet te, erue eum & proice abs te) domino suo seruire.

Altera probatur; quia inhumaniter tractando (vt si fame siti, frigore, verberibus sine causa affligat) facit eis iniuriam, à qua se possunt eripere per fugam, cum alia ratio non suppetit. Cellantibus tamen his causis tenentur reuertì, si in posterum non est periculum: sicut coniungit, quae ob similem causam toro maritali se subduxit. Nisi fortè iniuria tanta fuerit, vt merito Libertate sit compen- sanda.

Dico Tertio, Si dominus sit Iudaeus aut Pa- 20 ganus, iurisdictioni Principis Christiani subiectus; vel si sit haereticus; seruus Christianus hoc ipso fit liber, ac proinde potest dominum de- ferere.

Probatur L. Deo nobis. 56. C. de Episcopis & Clericis. vbi Iustinianus ait: *His ita dispositis, re- petita lege iubemus, vt nullus Iudaeus vel Paganus vel haereticus seruos Christianos habeat; quòd si in- uenti in tali reatu fuerint, sancimus seruos omnibus modis liberos esse, secundum antiquorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex c. vlt. de haereticis, & c. 2. & vlt. de Iudaeis & Saracenis.

Adde, seruos infideles istorum posse etiam fu- gere ad Ecclesiam vt fiant Christiani, & factos Christianos statim esse liberos; vt habetur dicta L. Deo nobis. supra.

Dico Quarto, Qui à se vel à parentibus legiti- 21 mè sunt venditi, fugere non possunt.

Ratio est, quia cum sint facti serui per legiti- mum contractum, in quem ipsi vel parentes eorum loco iuste consenserunt, tenentur contractu stare, nec possunt illum violare absque iniustitia; sicut nec alias venditiones.

Dico Quintò, Qui in poena criminum iuste 22 ad seruitutem sunt condemnati, non videntur posse fugere. est communis ferè DD. sententia.

Ratio est, quia reus tenetur exequi iustam sen- tentiam, si poena talis sit vt non possit nisi per reum executioni mandari. atqui seruitus est talis poena. ergo. sed de hoc plura infra. nam si seruitus illa sit valde calamitosa, probabile est fugere posse oblata commoda occasione. contrarium enim est nimis durum & superans humanam conditionem, praesertim talium hominum.

Dico

Dico Sextò, Proles eandem conditionem subit quam mater. Vnde si mater se vendidit, vel à parentibus iuste vendita est, vel ob crimen seruituti addicta, proles non potest fugere.

23 Hinc sequitur, eum, qui huiusmodi seruis consilium vel auxilium ad fugam præbet, peccare, & ad restitutionem teneri totius damni inde secuti. vt si fugit & abstulit simul 100. aureos, is qui fugam suasit, tenetur domino restituere non solum pretium serui, sed etiam damni, quod fugiens intulit, quia totius damni causa censetur, vt rectè notatur Nauar. c. 17. n. 103.

24 Dico Septimò, Serui bello captiuitate possunt fugere ad suos; non possunt tamen dominis persequentibus vi resistere. Est contra Nauar. c. 17. n. 103. & multos alios. sed ita sentiunt D. Soto lib. 4. de Iustitia, q. 2. ar. 2. Bannes 2. 2. q. 40. ar. 1. dub. 13. Couar. ad regulam Peccatum, 2. p. §. 11. n. 6. & l. 1. variat. c. 2. n. 10 & alij alij.

Serui bello capti fugere possunt.

Probatur prior pars §. Item ea. Instir. de rerum diuisione: vbi de seruis bello captis sic dicitur: *Qui tamen si euaserint nostram potestatem, & ad suos reuersi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Idem insinuat L. Nihil 26. de captiuis & postliminiò reuersis. *Nihil interest, inquit, quomodo captiuis reuersus sit, vtrum dominis, an vi vel fallacia potestatem hostium euaserit, ita tamen, si ea mente venerit vt non illo reuertetur.*

Probatur Secundò ratione, Primò, quia cum hæc seruitus communi consensu gentium sit introducta, non debet eius conditio magis onerari quam consuetudine totius orbis sit receptum, atqui consuetudo habet vt tales serui sine conscientia serupulo possint ad suos fugere. neq; hoc censetur illicitum, nisi forè dedissent fidem de non fugiendo, & ea lege vira eis esset condonata; tunc enim tenentur stare promissis. Secundò, quia hæc seruitus ceteris est nobilior, minusque probrosa: vnde etiã in viros nobiles cadere potest, ergo non est cogenda in eas angustias, in quas alie seruitutes. Tertiò, si non possent fugere, beneficium illud legum, quo cõceditur libertas in termino, esset inuile; quia non possent illud consequi nisi per peccatum: vnde esset illecebra ad peccandum.

Dixi, posse fugere ad suos; quia non licet eis fugere ad euagandum extra potestatem dominorum: sed solum animo contendendi ad suos. hæc enim sola fuga iure & consuetudine seruis concessa est, vt per eam possint libertatem in termino recuperare: nepe cum ad suos, vel ad amicam ciuitatem, vbi publico nomine tuti sint, peruenerint: vt habetur L. Postliminiò. 17. de captiuis. quòd si in via intercipientur, possunt reduci: quia antequam peruentiant ad suos, non recuperant libertatem. Postquam autem peruenerint, ita sunt liberi, vt etiam si redeant causa mercaturæ, vel simili, non possint à priori domino retrahi in seruitutem. Si autem fugiant non animo redeundi ad suos, peccant, & tenentur redire, vt rectè Couar. supra. quia priuant dominum vsu sui, dum adhuc continentur sub eiusdem dominio; nec sunt in via subtrahendi se ab eo per fugam iure permissam.

Quosque fuga sit illis concessa.

Non possunt fugere animo uisgandi.

25 Altera pars, quod dominis persequentibus vi resistere non possint, Probatur; nam domini habent ius illos intercipienti & detinendi quamdiu ad suos non peruenerint; alioqui inuile esset seruitus. quare cum non possit esse bellum vtrunque iustum, non possunt se vi tueri. Simile est in reo,

qui etsi fugere possit, non tamen ministris Iustitiæ persequentibus resistere.

Ex his sequitur Primò, Licitum esse cooperari huiusmodi seruo ad fugam; modò scandalum & alie indebitæ circumstantiæ absint. Secundò, Idem esse iudicium de prole; quia non est deterioris conditionis suo parente. Tertiò, Idem ius permanere, etiam si decies quis vendatur. nam iure belli seruis censetur, cuius primæua seruitus sic est constituta, etiam si decies uenierit.

Potest quis cooperari ad fugam.

Obicitur Primò à Nauar. cap. Si quis seruum 17. q. 4. vbi Concilium Gangrense sub anathemate prohibet ne quis alieno seruo suadeat ministerium domini sui destruere. Idem prohibetur cap. sequenti, quod est Concilij Romani sub Martino 1. & confirmatur L. 1. C. de seruis fugitiuis. vbi dicitur *fugitiuus seruus furtum sui facere domino.* Et L. 3. si in fuga deprehendatur, grauis ei pœna decernitur, nempe pedis amputatio, vel damnatio ad metalla.

Obiectio- nes.

Resp. Illis canonibus solum prohiberi, ne quis prætextu religionis seu libertatis Christianæ doceat seruum contemnere dominum suum, & deserere eius ministerium; vnde nihil ad nostrum propositum. Ad Confirmationem; lex prima loquitur de eo qui fugit ad alium dominum. lex autem tertia loquitur indistinctè de seruis, qui fugiunt ad barbaros, hostes Romani Imperij; vnde excipi debent illi, qui fugiunt ad suum populum, vt colligitur ex aliis Iuribus allatis.

Obicitur Secundò, Qui damnatus est exilio ad certum locum, non potest ex eo loco fugere; ergo cum seruus iure gentium damnatus sit seruitute, non potest fugere.

Resp. Negando consequ. quia hi serui non damnantur vt malefactores in iudicio, sed nobiliori quodã modo, & minus ignominiosa seruitute, cui ex more gentium hoc priuilegium est relictum.

Obicitur 3. Serui à dominis solent grauius puniri si contingat eos fugere, & à fuga retrahi, ergo non licet eis fugere: quia alioqui iniuste punirentur. Resp. Primo, Fortè illos dominos sequi alteram sententiam, quæ censet fugam esse illicitam, quæ etiam est probabilis, etsi nostra sit probabilior. Secundò, Probabile est, etiam si dominus putet fugam licitam, nihilominus seruum posse castigari, non quòd peccauerit, sed quia priuilegium fugiendi videtur illi cum hoc onere concessum in gratiam domini; sicuti custodia publica inclusi licitè fugiunt, vt infra dicitur; & tamen deprehensi puniuntur, L. 1. de effractor. & alibi: quod magis locum habere potest in seruis: quia cum caperentur in bello, poterant iuste occidi: sed mors illis ita commutatur in seruitutem, vt si fugiant, nolentes in ea persistere, prior pœna ex parte possit reuocari, irrogato graui supplicio.

Quo modo iure possint plecti si fugerint.

DUBITATIO VI.

Quæ animalia licitè occupentur venatione, piscatione, aucupio.

28 Notandum est, animalium quædam naturali indole esse mansueta, vt sunt oues, boues, equi, fues, gallinæ domesticæ, anates domesticæ, & similes: alia esse fera seu siluestria: & horum alia vsu sunt mansuefacta, vt cuniculi, cerui, quos domi

domi nutrimus, pauones, columbæ domestica: alia retinent indolem siluestrem.

*Manfucta  
vestimenta.*

Nunc Resp. & Dico Primò, Animalia naturâ manfucta & domestica, etiam si dominorum potestatem longius euaserint, non licet capere, patet §. Gallinarum, Instit. de rerum diuisione, ubi dicitur *furtum committere qui hæc animalia cum effugerint, detinet.* Ratio est; quia hæc, licet fugerint, non tamen idèo recuperant libertatem; cum naturali sua indole sint domestica; vnde adhuc manent in dominio prioris domini, quare vbiq; hæc inuenta fuerint oberrantia, dominis sunt restituenda. Imò etiam si capta à lupo vel à vulpe fuerint; qui ea exemerit, restituere debet quidquid de illis superfuert.

Dico Secundò, Animalia fera seu siluestria vsu manfucta, quæ consuetudinem habent ex libera vagatione redeundi in potestatem domini, non licet occupare. Instit. supra §. Pauonum. Vnde qui in suo columbario appositus illecebris, aliorum columbas eò traducit, tenetur ad restitutionem: secus si id sine fraude accidat, v. g. quia melius eas alit, vel commodiorem stationem aptauit, consuetudo tamen est consideranda, nam quibusdam locis dicitur esse moris vt omni arte alienas columbas liceat accersere.

*29  
Columbaria  
permissa.*

Dubitant Doctores, an columbaria sint licita. Sed dicendù est, ordinariè licita esse, nisi lege aliqua sint prohibita. Ita Nauar. c. 17. n. 126. Caiet. ver. Columbarium. Sil. Restitutio 3. q. 4. Sotus lib. 4. q. 6. a. 4. Molina disp. 48. Primò, quia passim est consuetudo. Secundò, quia non sentitur ordinariè damnum notabile: non enim minùs vescuntur seminibus prauis, quæ sata suffocant & strangulant, vt lolio, melanthio, orobanche, quàm bonis: vnde Astenis dicit quosdam tenere tantum prodesse quantum nocent. Tertio, quia potissimum vescuntur granis prolapsis è spica, nec scalpendo detegunt semina terræ mandata; vt ferunt harum rerum curiosi. Quartò, nisi haberetur columbaria, esset maior numerus siluestrium; quia pauciores caperentur, & ita magis nocerent satis. Deniq; quia cedunt in cibum Reipub. Curare tamen debent qui eas fouet, vt pabulum in columbariis non desit, sic enim minùs nocere possunt.

*30* Dico Tertio, Si hæc animalia amittant consuetudinem redeundi, licet occupare, & sunt occupantis, vt habemus expressè Instit. loco citato.

*Fera vsu  
occupata.*

Ratio est, quia tunc censentur se recepisse in naturalem libertatem, & non ampliùs esse in potestate prioris domini. vnde columbæ tuæ si se aggregarint columbis alterius columbarij, & consuetudinem redeundi deseruerint, fiunt alterius. Dicuntur autem consuetudinem redeundi deseruisse, si bis terte tempore consueto non redeant, vt docet Nauar. c. 17. n. 128. & Sil. verbo Inuentum, q. 2. quod de columbis est verum; non tamen de ceruis & aliis, quæ interdum vagantur iuxta domum, & sponte non redeunt, tamen facile patiuntur se reduci. Itaque prudentis arbitrio definiendum est quando censeantur consuetudinem redeundi deseruisse.

*31  
Omnino  
fera.*

Dico Quarto, Animalia omnino fera & siluestria, si potestatem domini euaserint, & in libertatem naturalem se vindicauerint, vbiq; reperta fuerint, licet prosequi & capere, & fiunt occupantis. Ratio est eadem quæ supra, quia iam nullius sunt.

Vbi Aduerte, eum qui ceperit aliquod animal ferum seu siluestre, vt ceruum, leporem, perdicem, columbam, tamdiu censeferi dominum, quoad illud sua custodia coeret. quod si eius custodiam euaserit, rursus fiet primò occupantis: vt si ceruus ex silua vel prato concluso euaserit. Dicuntur autem recuperasse naturalem libertatem, quando ita euaserint, vt difficilè possint comprehendi. tunc enim sunt extra domini potestatem. quod si facile, nõ censentur esse extra dominium.

Vnde patet, examen apum, cum siluestris sit naturæ, si ita euolet vt sit difficilis eius prosecutio, posse à quolibet capi, etiam si ex arbore tua dependeat. Sicut enim auis non idèo fit tua, quia in tua arbore nidificat; ita nec examen apum, quia ex tua arbore pender, tuum est; potes tamen alium re adhuc integra prohibere ne fundum tuum ingrediatur, vel arborem conscendat, vt illum præuenias. quod si in tuum alueare inuolet, tuum efficitur. Hæc omnia expressè habentur Instit. de rerum diuisione. & fufius in Pandectis L. 3. 4. 5. 7. de acquirendo rerum dominio. & L. 3. §. Item feras. 7. de acquirenda possessione. Vide etiam Nauar. c. 17. n. 128.

Aduertendum tamen, in his omnibus habendam esse rationem consuetudinis locorum & prouinciarum.

#### DUBITATIO VII.

*Utrum Principes possint iuste prohibere venationem, piscationem & aucupium in locis publici iuris.*

*33* Couar. ad regulam Peccatum p. 2. §. 8. refert multos Doctores, qui tenent, Principes non posse id prohibere, eo quod iure naturæ vel gentium licitum sit animalia libera capere: quod Ius Princeps tollere non potest. Ita Hostiensis, Ioannes Andreas, Decius, Tiraquellus, Rebuffus, & plures alij, & Iason dicit hæc sententiam esse communem. Sed Couar. tenet contrarium; adductis pro se multis Iurisperitis, & conciliatis illis, qui aliter sentire videbantur. Idem ex Theologis tenent Caiet. tom. 1. opuscul. tract. 17. cap. 12. & Ioannes Medina Cod. de Restit. q. 12. Sotus lib. 4. de Iustitia q. 6. a. 4. & alij passim. Pro qua sententia

*34* Dico Primò, Principes possunt prohibere hanc venationem seu captionem animalium in locis publici iuris, ex consensu populi, siue gratis, siue per aliquem contractum præstito. Ratio est, quia populus potest cedere iure suo.

Dico Secundò, Possunt etiam eam prohibere, si iudicetur id necessarium ad Reipub. onera sustinenda; nempe vt inde confletur maxima vis pecuniar, officio & administrationi Principis necessaria. Quo titulo quidam Principes reseruant sibi ius piscandi certa genera piscium; vt apud Hispanos reseruant sibi ius piscandi thynnos, vt inquit Couar. n. 10.

Sed difficultas est, Utrum ad solam recreationem possint sibi atque populi consensu tale ius reseruare?

Resp. & Dico Tertio, Principes etiam ad solam recreationem possunt absque consensu populi ius reseruare in quibusdam locis sibi reseruare. Ita Couar. Sotus, & Medina supra.

*35  
Ratio ius venandi.*

Ratio est, quia Princeps cum labore pro Repub. potest etiam aliqua loca communia suae recreationi referuare; praesertim cum id etiam pertineat ad Principis dignitatem.

*Non is-  
men ubiq;*  
Dico, in quibusdam; quia non potest populum ab omnibus locis publicis excludere, & sibi totam venationem referuare, nisi forte eam ob causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter compenset. Ratio est, quia est nimis inhumanum & tyrannidem sapiens (vt rectè docet Medina) tantummodò sui commodi & oblectationis gratia, vniuersum populum omni recreatione & utilitate venationis, quae Iure naturali & gentium eis est concessa, priuare.

*36  
Potest qui-  
busdam  
concedere.*  
Notandum Primò, Possè Principem personis de Repub. bene meritis ius venandi vel piscandi in loco communi attribuere, ceteris exclusis; modo tamen id absque notabili communitatis incommodo fiat. Sic videmus quibusdam Monasteriis & Nobilibus varia priuilegia in hoc genere concessa.

Notandum Secundò, etiam consuetudine legitime praescripta posse huiusmodi ius acquiri, tum Principi, tum alijs: vt docent Caiet. Medina, & Couar. supra. Ratio est, quia consuetudo habet vim legis & priuilegij: & sicut alia iura praescriptione acquiri possunt, ita & istud. Videndum tamen ne huiusmodi consuetudo malo titulo vel tyrannicè sit usurpata, vt monet Couar. n. 10.

*37  
Obligatur  
ad damna.*  
Notandum Tertio, Principes qui sibi tale ius referuant, obligari ad cauenda damna quae ferarum multiplicata possent agris vicinorum inferre; & si quae inferant, teneri ipsos ad restitutionem. ita Couar. supra n. 10. ex Caietan. Estque communis DD. sententia. Ratio est, quia referuatione istius iuris, & lege illa qua vetat venationem & ferarum peremptionem, dat causam damni quod per feras inferitur. Quae autè dat causam damni, ipsum quoque; damnum dedisse videtur; ac proinde tenetur sarcire. Neque satis est si dicant se velle sarcire damna quae inferuntur, sed etiam debent cauere quantum opus est ne inferantur; vt rectè notat Nauar. c. 17. num. 12 §. aliud enim peccatum est inferre damnum, aliud nolle compensare illatum. quamuis si verè paratus esset totum damnum absque mora compensare, & diligenter de eo subinde inquireret, non putarem peccare mortiferè: quia non inferret notabilem iniuriam. Verùm hoc in praxi rarum est. Exciipiuntur tamen duo casus, quibus Princeps ad neutrum tenetur. Primus, Si consensu Reipub. & eorum qui possident agros vicinos, hoc ius haberet: quiuis enim potest cedere iure suo. Quo tamen casu dissimulare deberet cum eo qui feram segetes vastantem in agro suo perimeret. Vtut enim ille iure naturalis defensionis, quo, populus ille se priuare voluisse non censetur. Secundus, Si in terra hostili a se occupata tale ius in aliquo saltu instituat, antequam agri vicini diuidantur: tunc enim agri illi transeunt cum hoc onere seu seruitute ad suos possessores.

*Duobus e-  
uentis non  
tenetur.*  
Notandum Quarto, Eum, qui iniuste prohibet alium à venatione, piscatione, aucupio, teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod ille deductis expensis & laboribus facturus erat, vt rectè notat Couar. num. 11. & 12. Nauar. cap. 17. n. 120. non tamen ad restitutionem animalium, quae capta non sunt: quia illa nondum fuerunt in potestate eius qui prohibitus est. Vnde etiam secundum quos-

*38  
Prohibens  
iniuste ve-  
nationem.*  
dam non tenetur Ecclesiae compensare decimas, quas venatores de rebus captis in quibusdam locis soluere solent: (etsi Couar. contra sentiat) quia decimae, nisi de rebus iam perceptis, non debentur. idem iudicium esto de eo, qui impedimento fuit agricolae in agricultura. Sed de his infra, cap. 39. Dubit. 3.

D Y B I T A T I O V I I I .

Vtrum quis possit venari in praedio vel saltu alieno.

*39*  
**R** Esp. Absolutè posse, modò illa loca non sint ita conclusa, vt feræ non possint egredi. cauendum tamen ne quid damni inferatur. Quisque tamen potest ius venandi in suis praedijs sibi referuare, & alijs prohibere ne ibi venentur; vt habemus §. Feræ. Instit. de rerum diuisione. hæc tamen prohibitio erit irrationabilis, ac proinde parum curanda, si ipse dominus nolit ibi venari, & feræ multiplicatae damna inferant. imò talis dominus tenebitur tunc ad restitutionem damnum; quia censetur illorum causa per suam prohibitionem, vt notat Couar. n. 11. Et consentiunt omnes DD. vt supra diximus.

*40  
Cauenda  
damna.*  
Simili modo cauendum venatoribus, ne ipso actu venandi in locis alienis, vel transitu per illa, damnum inferant proterendo sata, sternendo segetes, excutiendo grana, laedendo vineas, dissipando fepes, & similia. alioquin tenentur ad restitutionem. Ita docent omnes DD. qui hanc rem attingunt. Siluester v. Venatio, Vtrum, inquit, venatores concalcantes agros, vineas & segetes, & quorum canes occidunt gallinas, & animalia pauperum, & aliorum, teneantur restituere: dicit Astensis quod sic, ad estimationem: alias peccant mortaliter; nisi damnum sit ita modicum, quod probabiliter creduntur non curare. Idem isdem verbis affirmat Angelus, eodem verbo. Caietanus in Summa, eodem verbo, dicit, Actum venandi esse peccatum, si damnum agris aut vineis inferatur, idque pro magnitudine damni. Barthol. Fumus eodem, n. 1. dicit, Actum venandi esse peccatum si fiat cum damno proximi in persona vel rebus; vt quia venator exponit se periculo occidendi vel vulnerandi proximum ex defectu circumspeditionis, vel destruit segetes, semina, vineas, vel huiusmodi, & tunc iudica mortale vel veniale secundum qualitatem actus vel periculi cui se exponit; & ultra peccatum tenetur de damno per eum illato, vel eius occasione. Nauarrus in Enchiridio cap. 17. n. 12 §. Peccat qui ad venandum profectus permittit vt canes sui noceant alienis auibus domesticis, gallinis, anatribus, anseribus, & id genus alijs; aut vt sui equi aut famuli notabile damnum inferant praedijs, aut satis per que transeunt, aut eorum fructibus; & non vult restituere. Hostiensis in Summa de panit. & remiss. Omitto alios, quia idem omnes nemine discrepante docent.

Ratio est perspicua. Quia vel venatio instituitur ad oblectationem, vel ad proprium commodum, vel ad bonum commune. v.g. ne feræ multiplicatae noceant agris, pecoribus, hominibus. Si ad oblectationem vel proprium commodum, manifestum est id non posse fieri cum dispèdio aliorum. Nec refert, etiam si forte sit persona publica vel gubernator patriæ; quia in iis quæ ipse agit in com-



modum proprium comparatur ad subditos, vt priuatus ad priuatum: vnde non minus tenetur de damno quam si esset priuatus. Si verò ad bonum publicum instructa sit, nulla æquitas patitur, vt damnum quod occasione boni publici contractum est, à paucis hominibus priuatis sustineatur; sed iusta proportione distribuendum in omnes, alioquin peccatur contra Iustitiam distributiuam: quæ sicuti præscribit bona communia certa proportione distribui in singulos; ita etiam onera & damna, quæ causa communis boni imponuntur, vel inferuntur. Sicut enim bonum quod intenditur commune est, ita etiam damnum commune esse debet. Itaque deberet huiusmodi ex causa damnum passis fieri compensatio ex bono communi. v. g. remissione tributorum vel exactio-num, vel immunitate à milite, vel simili modo. Pari ratione cum causa boni publici solum alicuius occupatur, vt conuertatur in viam publicam, vel vt in eo fiat propugnaculum; vel cum deiciuntur ædificia priuatorum, facienda est compensatio ex publico. Cum autem damnum illatum est causa proprii commodi, ex propriis compensatio facienda, vt per se notum est.

41  
Limitatio.

Aduerte tamen, si damnum est modicum, & dominus loci tantum ferè commodi adferat agricolis occidendo feras, quantum damni ipso acta venandi; vel si rebus illorum consulat, sua auctoritate auertendo milites, eosque ab aliis incommodis tutando, ita vt meritò videri possint illa damna, quæ subinde ex venatione sentiunt, non curare, & condonare; non esse obligationem restituendi: quo modo fortasse aliqui locorum domini possunt excusari. hoc tamen non habet locum quando damna sunt graua. Quomodo autem damnum graue aut leue agris & fati inferatur, & quodnam tale censendum sit, optimè ex ipsis agricolis cognosci potest.

An præscriptio excuset.

Dices, Quid si ab hominum memoria sit vsurpatum, vt tota venantium turba cum equis & canibus, prout occasio tulerit, per media lata sese inferat, non curans quid damni inde resulter, nec vlla ob id fiat restitutio, maximè cum nemo querelas apud iudicem deponat? videtur enim hoc euentu habere locum præscriptio, quo tanti temporis tractu hoc ius sit à domino loci vsucaptum. Resp. Vt titulus præscriptio hinc locum habeat, debere consistere 1. De ipsa consuetudine & vsu qui memoriam hominum antecedit. 2. Non fuisse factam compensationem cum damna irrogata erant graua. 3. Quòd damno affecti non deposuerint querelas, nec mouerint litem, id non factum desperatione obtinendi iuris, aut metu maioris mali, sed omnino liberè, & animo condonandi. alioquin cum præscriptio sit in contrarium, non poterit censerì bona fides in venatoribus damna illa inferentibus. Sic Tyrannus non potest vsucapere ius imperij in populum liberum, quando solo metu illum coercet, ita vt non præsumatur liberè in illum consentire. Ratio est, quia præscriptio in huiusmodi, quæ vi præsumuntur vsurpata, non potest dare ius, nisi quatenus tanti temporis vsus & possessio parit præsumptionem liberi consensus eorum ad quos pertinet. Si tamè huiusmodi fundi essent beneficiarij, iuri feudi vel emphyteusis domino obnoxij, possent ex huiusmodi consuetudine præsumi, talem seruitutem ab initio fuisse voluntate Principis annexam; & idcirco minorem

penfionem minùsve obsequium domino ab emphyteutà vel feudatario præstari. Quis autem primo loco, quis secundo, & in subsidium hic in restitutione veniat, ex regulis generalibus colligendum. Vide infra cap. 13. Dub. 5. & sequentibus.

#### D V B I T A T I O IX.

Quomodo peccet, & an teneatur ad restitutionem is, qui contra iustam prohibitionem venatur, aucupatur, piscatur.

Notandum ex Couar. venationem prohiberi generatim quatuor rationibus. Primò ratione <sup>42</sup> status personæ. Ita prohibetur Clericis, & multò magis Monachis; præsertim ea venatio, quæ fit magno strepitu canum & armorum, vt patet c. 1. De Clerico venatore: quod sumpsum est ex Concil. Aurelianensi: vbi Episcopus qui crebrò talibus venationibus dat operam, iubetur suspendi tribus mensibus à communionem: presbyter vero duobus: diaconus ab officio: vnde videtur frequentatio talium venationum esse peccatum mortale. Quæ tamen venatio cum retibus, laqueis, paucisque canibus, modò raro fiat, non est omnino prohibita Ecclesiasticis; vt notat Medina q. 12. C. de Restitut. & Silu. verbo Venatio: siue fiat causa necessitatis, siue exercitij, siue moderatè recreationis, vt notat Panorm. in illud c. 1. citatum.

Secundò, ratione temporis. Sic videri possit prohibita venatio diebus festis & ieiunij, ex cap. An putatis. d. 86. sed hoc intelligendum est quando ratione venationis ommitteretur Sacrum, vel violaretur ieiunium. alioquin absolute non est prohibita, cum non sit opus seruire, vt notat Nauar. c. 13. num. 11. quamuis in magnis festis & quibusdam ieiunijs sit valde indecora, ob nimiam animi effusionem, & corporis agitationem.

Tertiò, ratione publicæ utilitatis, ne videlicet soboles ferina extinguatur. sic prohibetur interdum venatio illis mensibus, quibus feræ sunt grauidæ, & quando sunt niues; quia tunc faciliè capiuntur; & vsus certorum instrumentorum, vt bombardarum, retium tenuium, & similibus, quibus faciliè magno numero concluduntur.

Quartò, ratione loci; vt si in aliquo loco à Principe statuta sit immunitas ne quis ibi venari possit, vel si locus sit alienus. His positis,

Dico Primò, Quando venatio solùm est prohibita ratione status vel temporis, ordinariè non est nisi peccatum veniale; modò scandalum absit, & periculum occisionis vel mutilationis: & animal captum non est necessariò restituendum.

Prior pars patet ex dictis; estque Medina, Siluestri, & aliorum.

Altera probatur; quia conditio personæ vel temporis non facit illum actum iniustum, aut rem obnoxiam restitutioni.

Dico Secundò, Etsi venatio prohibita sit ratione utilitatis publicæ, tamen non est peccatum mortale, nisi quando modus venandi censetur notabiliter perniciosus commodo Reip. & idcirco sub graui pœna est prohibitus; vel quando re ipsa notabile damnum bono publico inferatur (vt si sobolem ferinam notabili ex parte extingueret) animalia tamen capta non sunt in foro conscientie restituenda. Ita Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 8. &

Venatio & aucupium non est opus seruire.

43  
Quale peccatum.

& alij. Ratio est, quia leges in hisce casibus non prohibent ipsam acquisitionem ferarum, sed vsum venationis; vti autem venatione contra legis mandatum, non censetur notabilis iniuria vel læsio Reipub. cum iure gentium liceat occupare quæ nullius sunt. Vnde ut venator non teneatur ad restitutionem ferarum captarum; etiam si instrumentis vetitis ceperit: quia fera non sunt res Reip.

Restitutio quando necessaria.

Aduerte tamen, si quis aquas inficeret, vnde contingeret magnam vim piscium mori, vel alio modo graue damnum inferret, teneretur ad restitutionem Reipub. quæ habebat ius piscandi, quatenus censetur illud ius grauitate læsisse, & ipem lucri & oblectationis eripuisse. ipsa tamen animalia non tenentur restituere: sed solum quantum illa spes, seu ius venandi censetur valere.

Dices, Ergo semper tenebitur ad aliquam restitutionem, etiam si vnam dumtaxat vel alteram feram ceperit; nam inique priuauit Reipub. iure illius venandi, & sic censetur læsisse.

Resp. neg. consequentiam, quia illud ius venandi non censetur notabiliter læsum propter vnam atque alteram feram subtractam: quamuis enim duæ vel tres feræ sint magni momenti; ius tamen venandi respectu earum, in magno saltu est parui momenti.

Qui venatur in fundo persona priuata.

Dico Tertio, Qui venatur in alieno fundo, vel prædio, vel silua, inuito domino, non tenetur ad restitutionem eius quod cepit; peccat tamen pro ratione iniuriæ & damni illati, (si quod inferat) & tenetur ad eius compensationem. Docet hoc Couar. supra n. 4. Medina q. 12. & alij.

Prior pars probatur, quia animal siluestre non erat domini illius fundi, sed nullius: ergo transit in dominium primo occupantis. Ratio est, quia animalia non sunt fructus agrorum vel siluarum vel fluuiorum, sicuti arbores quæ solo hærent; sed alia ex alijs procreantur. Vnde sequitur, etiam si ager vel possessio talis sit vt eius fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, non tamen ideo animalia sunt conductoris, vel vsumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur; sed conductor & vsumfructuarius solum ius venandi in tali fundo habent, quod ius censetur ad fructus agri vel siluæ pertinere. Vide Couar. n. 9. & 11.

Fera non sunt fructus agrorum.

Altera pars probatur, quia is qui venatur in aliena possessione inuito domino, facit illi iniuriam. Dominus enim ius habet vt nemo ibi se nolente venatur, vt habemus §. Fera. Inst. de rerum diuisione. & L. Item si fundi. 9. §. Aucupiorum. 7. de vsumfructu, vbi dicitur, *Reditus aucupiorum, sicut & venationum, ad fructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino, aucupari.* Vnde vterius patet, si damnum aliquod inferat, teneri ad restitutionem, vt si fegetes proculcet, si sepimenta dissipet: item, si dominus illam feram venari volebat, & probabiliter erat capturus; spectanda est æstimatio illius spei. Denique si ius venandi alteri vendere vel elocare staturat, & tu crebra venatione effeceris vt parui æstimetur, quod si nullum damnum sit illatum, (vt si dominus ipse nolebat venari, nec ius illud elocare) non tenetur venator ad vllam restitutionem, etiam si inuito domino venatus sit; quia notabile damnum non irrogauit. vetatio quoque illa parum erat rationi consentanea, cum ipse eo iure vti noller.

Aduertendum autem est, eandem esse rationem extranei venantis in loco publico, atque ciuis venantis in loco priuato alterius, inuito domino: vterque enim sarcire damnum, si quod illatum fuerit, tenetur, non ipsas feras.

Dico Quarto, Qui venatur in loco publico venationi Principum vel aliarum personarum iuste assignato, peccat venialiter: & si notabile damnum inferat, mortaliter; teneturque ad compensationem damni, non autem ad restitutionem animalis capti.

44  
Quim fundo Principi tributo.

Probat prior pars, nam lex illa prohibens in tali loco venationem, etiam si pœnam appositam habet, communi tamen hominum iudicio non censetur grauem inducere obligationem; quamuis ipsi domini ibi venari soleant; nam feræ sunt nullius, & siluæ sunt communes: & aliàs non est notabilis læsio. Vnde rationi consonum est vt reseruatio illa iuris venandi facta per principem, non adeo strictè accipiatur.

Dices, Si est peccatum veniale, ergo ratione grauitatis materia potest esse mortale.

Respondeo, Ipsa materia, secluso damno, ex genere suo est parua, & ita non constituit peccatum mortale, si damnum absit.

Alterà pars constat, nam ratione damni potest censeri peccatum mortale: vt si animalia capta essent magni pretij & multa; ideoque Princeps non posset tam multa capere quam aliàs solet. Item si feræ sint redditæ fugaces, vt difficillimè postea capiantur. Denique si aliqua ratione damnum sit notabile. Potest tamen venator excusari à restitutione, (vt notat Medina) quia Principes non solent talem restitutionem curare, sed sufficit illis vt deprehensi pœnam luant.

Hæc autem pœna non debet esse corporalis; vt mutilatio, vel flagellatio, (vt rectè notauit Silu. verbo Venatio. Nauarr. cap. 17. n. 121. & alij DD. communiter) sed pecuniaria; quia non censetur graue crimen, etiam si graue damnum intulerit. Vnde si sit statuta pœna corporalis, non est mandanda executioni; nisi quis valdè sæpè esset deprehensus, & minoribus pœnis non emendatus; tunc enim posset aliqua corporalis, v. g. flagellatio adhiberi.

45  
Pœna quælibet.

Vltima pars, quod non teneatur ad restitutionem si arto animalis capti, patet ex dictis. Notandum est, hoc magica etiam locum habere, et si quis arte magica vel alia praua machinatione feras elicerit, & ita extra siluas ceperit: vt notat Couar. n. 14. Nam modus iste capiendi, etsi sit graue peccatum, non tamen facit vt ipsa captio sit contra Iustitiam. Quamuis iste puniri possit, sicut is, qui intra siluam venatur. Qui tamen feras extra locum suum abique vlla fraude egressas caperet, non solum ad nihil tenetur, sed neque ideo puniri debet; vt ibidem Medina & Couar. quia ipse fera cum sint nullius, iure gentium permittuntur occupari extra saltum prohibitum. Adde, Idem dicendum si quis venatur feram in saltu concluso, sed ita vasto, vt in eo difficillimè capiantur: nam in tali loco non minus fruuntur libertate naturali quam si captæ non essent. Quod Confirm. quia animalia quæ sunt in Insula duarum vel trium lætarum, naturali libertate fruuntur, & sunt priuato occupantis: ergo idem dicendum de saltu amplissimo clauso. Ita Couar. supra n. 15.

46  
Saltus conclusus, si vastissimus sit, non tollit feris libertatem naturalem.

Vtrum autem feræ, quæ naturali libertate fruuntur

E fruuntur

fruuntur, possint per aliquam legem ita alicui Magnati addici, vel bono publico seruari, vt non transigent in dominium capientis, dubitari potest. Verius est posse, modò legitima causa subit: vt si alia ratione non posset commodè sumptibus quibusdam necessarijs prouideri. hoc tamen raro in praxi vsu venit. Ratio est, quia lex ob iustam causam potest alios reddere inhábiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanae subsunt legum dispositioni, adeò, vt per leges possit tibi concedi ius, vel imponi obligatio, aut etiam iniici impedimentum ad aliquas actiones obeundas: ita etiam res externa, earumque dominium & possessio, legum dispositioni subiacer; sic vt ius acquirendi, vel incapacitas, per eas irrogari possit. Hinc quidam sunt incapaces quorundam officiorum, successiones hereditariae, possessionis immobilium, &c.

## DVBITATIO X.

*Vtrum fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit mea, an capientis.*

- 47 **R**espondent communiter DD. esse capientis, & non vulnerantis. Ita Couar. ad reg. Peccatum p. 2. §. 8. n. 13, & alij, quod patet §. Illud quæsitum, Instit. de rerum diuisione. Sed hoc intelligendum est, nisi ita vulnerata sit vt percussor insequens eam certò esset capturus. Vnde tria requiruntur vt fiat percussor. Primò, vt læserit eam quantum satis ad capiendum. Secundò, vt læsam insequatur. Tertiò, vt moraliter certum sit quòd eam sit apprehensurus. Ratio est, quia tunc habet illam quòdammodò in sua potestate, censetur enim quasi capta: vnde alius non potest illum præuerrere. Secus est quando dubium erat vtrum fera esset euasura: tunc enim fit occupantis; quia adhuc videtur habere suam naturalem libertatem, vt colligitur ex L. Naturalem. §. de Acquir. rerum dominio, vbi dicitur, *ferà recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est eius prosecutio.*

*Tria requiruntur vt fera ita fiat percussor.*

## DVBITATIO XI.

*Vtrum fera meo laqueo capta sit mea, an eius qui fortè superueniens laqueo exemit & abstulit.*

- 48 **C**ouar. supra n. 13, & Nauar. cap. 17. n. 176. adiudicant illam eximenti; nisi contraria sit consuetudo in aliquo loco particulari. Idem sentiunt plerique Doctores, ob L. In laqueum. §. de acqu. rer. domin. vbi insinuat esse eximentis. Confir. quia non acquiritur dominium feræ, nisi per apprehensionem: is autem qui laqueum posuit, nondum apprehendit, ergo, &c. Hæc sententia est probabilis.

49 *Videtur eius qui laqueum posuit.*

- Verius tamen videtur, & rationi naturali magis consentaneum, vt sit eius qui laqueum posuit. Ratio est, quia hic eam apprehendit & occupauit per suum instrumentum, adempta ei libertate naturali: quæ apprehensio sufficiens videtur vt debeat illius ceteri, sicut enim manibus, ita instrumentis aliquid apprehendere possumus, & in nostram potestatem redigere. Fauet dicta L. In la-

queum, §. de acquir. dominio, vbi hic casus ponitur, & respondetur, *feram meam esse, si in potestatem deuenierit*; atqui venit in meam potestatem per meum laqueum. Vnde ad argument. contrar. sententiæ Respondeo, illam legem, si bene expendatur, videri facere à nobis. in alio sensu non puto receptam. Nemo enim est qui non putet sibi iniuriam fieri, si fera sic capta tollatur. Ad Confirm. ille apprehendit per suum instrumentum. quòd si talis apprehensio non est sufficiens ad comparandum dominium, (quod tamen probari non potest) nihilominus satis est ad comparandum ius ad rem; quò tu, exclusis alijs, possis illam apprehendere; ita vt si alius præueniat, & te impediatur à consecutione illius rei, teneatur ad restitutionem. ita Molina disput. 42.

Hic tamen aduertendum est Primò, Si fera se erat extricata, potuisset ab alio occupari; quia tunc non peruenerat omnino in tuam potestatem, nec tu eam habiturus eras. Molina tamen putat tunc æstimandam spem tuam, & ab altero compensandam: quod est satis æquum.

Dices, Si auem cauea conclusam teneam, parumque absit quin erumpat, & tu superueniens eam eximas, mihi est restituenda, quia necdum effugerat: ergo similiter fera laqueo meo capta.

Respon. neg. consequentiam; quia hæc fera nondum facta est mea, cum nondum eam omnino occupauerim: illa autem auis iam antè erat mea; vnde nisi reipsa assequatur naturalem libertatem, mihi est restituenda.

Secundò, Si fera, quam ego persequor, incidat in laqueum tuum, verque habet ius occupandi tu, quia laqueo tuo capta; ego, quia mea industria incidit. nisi enim excitallem, non incidisset, itaque erit alterutrius qui prior illam occupauerit.

Tertiò, Si nasam in flumine intenderim piscibus capiendis, pisces capti mei sunt: eadem enim est ratio quæ laquei. quòd si tu, vbi plena fuerit, exemptis piscibus eam eodem loco vel alibi reponas, quòd secundo loco captum erit, tuum erit, si prior occupaueris. quia etiam meo instrumento, tamen hoc factum tua industria, qui nasam ibi tuo nomine posuisti: meum verò, si ego prior, quia meo instrumento captum. Hoc maxime equitati congruit.

*Si in tuum laqueum incidam.*

*Nassa mea ab alio intercepta.*

## DVBITATIO XII.

*Vtrum vena metallica auri & argenti, censeri debeant in nullius dominio, sicut fera; & fiant primò occupantis.*

**N**otandum est, præter feras, in nullius dominio esse lapillos, gemmas, ambarum, corallium, & similia, quæ in litore maris, vel promontorijs, vel fluminibus inueniuntur. vnde hæc omnia fiunt primò occupantis, vt patet Instit. de rerum diuisione. §. Feræ. & §. Lapillorum. Sed difficultas est de venis metallicis.

Respon. & dico Primò, Valdè probabile esse, has in nullius dominio censeri. Sorus lib. 5. q. 3. a. 3. & alij.

Probat, quia Principes passim sibi vindicant ius effodiendi hæc metalla, & concedunt priuatis ius ea inquirendi vbi libet, etiam in agro alieno; & bonam partem sibi referendi, compensatum.

*Quæ in nullius dominio.*

*Metalla auri & argenti in nullius dominio.*

dumtaxat damno, quod infertur loco: quod non facerent si ista metalla essent in dominio eius cuius est ager.

Vnde sequitur, si quis eruisse aurum vel argentum in agro alieno, etiam inuito domino, non teneri ad restitutionem auri domino agri; sed solum ad estimationem damni illati: in quo spectanda etiam est spes illa & verisimilitudo, qua dominus putabatur auro illo potiturus. Si tamen pars aliqua auri vel argenti eruit, per regni leges esset attributa Principi, ea esset perfoluenda.

52 *Ius effodiendi cuius competat.* Dico Secundò, Et si tales venæ nullius sunt, & res eruta fiat occupantis, tamen seclusa omni lege & consuetudine particulari, potestas & Ius effodiendi tantum competit ei qui est dominus loci: vnde si locus est hominis priuati, Ius etiam est priuati; si est publicus, competit Reipub.

Ratio patet ex dictis de venatione; præsertim cum metalla sint fundo permixta & inherencia: animalia autem sint vaga; ergo si cuique competit Ius venandi in suo fundo, multò magis Ius ibidem effodiendi metalli.

Vnde sequitur, Indos Occidentales iure potuisse prohibere Hispanos ab occupatione talium venarum in sua regione: vt rectè docet Sotus libro 5. q. 3. ar. 3. ad 2. (quamuis contrarium sentierit Victoria relect. de Indis p. 3. n. 4.) quod intellige antequam illæ Prouinciæ Hispanico imperio essent subiectæ. Nam quæque Respub. potest prohibere extraneum à venatione in silua publici iuris; & quisque priuatus alium à venatione in suo fundo; vt supra dictum est. ergo multò magis ab eruenendis metallis.

53 *Alia vena eadem fundus.* Dices, Lapidina, quæ est in meo fundo, mea est, & non tantum ius cadendi ibi lapides; vt ostendit Couarr. qq. practicarum cap. 37. nu. 3. & colligitur ex L. Vir in fundo. 8. n. de fundo dotali. Idem sentiendum est de fodina carbonaria, cretaria: ergo similiter vena auri & argenti, stanni, cupri, &c.

Respond. neg. conseq. Primò, quia venæ metallica sunt maximæ estimationis; quare non est æquum illas cedere vilissimo fundo. qua ratione, §. Litteræ, Infit. de rerum diuisione, dicitur ridiculum esse, picturam Apellis vel Parrhasij in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.

Secundò, quia venæ istæ ab ipsa natura in Ius publicum, non autem priuatis vrbibus institutæ videntur, vt rectè Sotus lib. 6. q. 3. art. 3. ait, suntque difficillimæ inuentionis & rarissimæ.

DVBITATIO XIII.

*Vtrum iuste prohiberi possit pascio, & lignatio, in pascuo vel silua Reipublicæ.*

54 *Lignatio in silua communis.* Respondeo, Rempublicam posse id iuste prohibere, etiam suis ciuibus, saltem secundum certum modum & mensuram, v. g. ne tali loco, tali tempore pascant, ne talem excindant stirpem, ne maiorem molem lignorum auferant. Ratio est, quia id potest esse multum expediens bono publico. atqui potestas Reipub. vel Principis (in quem Respub. suam transfudit auctoritatem) extendit se ad omnia, quæ bono publico conducibilia censentur. Non videtur tamen omnino & in totum posse prohibere; quia singuli Ius ha-

bent inde necessaria sumendi: quo iure absque suo consensu non possunt spoliari, nisi fortè aliunde sibi illa commodè parare valerent, de quo plura apud Couarr. pract. qq. c. 37.

DVBITATIO XIV.

*Quale peccatum sit, contra iustam prohibitionem pascere, vel ligna cadere.*

55 *Lignatio peccatum veniale.* Respondeo, & dico Primò, Si cuius in loco publico communitatis, cuius ipse est pars, id faciat, solum venialiter peccat; nec ad restitutionem tenetur; nisi magnum detrimentum communitati censetur illatum. Ita Sotus lib. 4. qu. 6. art. 4. & alij.

Ratio est, quia in hisce rebus communibus, non censetur notabilis iniuria committi per eos, qui aliàs ius habent, nisi fortè enorme damnum inferatur; vt si stirpes multæ notabiles incidantur, si grandiores arbores ædificiis idoneæ sternantur.

Dico Secundò, Idem dicendum de incolis duorum oppidorum vel pagorum habentium loca compascua vel siluas cædvas, si alteri in alterorum siluis hinc inde lignentur.

Ratio est, quia etsi incolæ huius loci non habeant ius lignandi in silua communi alterius loci, nec vicissim: tamen quia passim scitur contrarium ab vtraque parte fieri, censentur communitates vicissim condonare quod ereptum fuerit, contenti multæ, si qui in furto capiantur.

Dico Tertio, Si pascas vel ligneris in loco alieno priuati, vel Reipub. alienæ, cuius ciues non possunt idem facere in loco Reipub. tuæ, vel si id facias in loco communi elocato alteri, peccas pro ratione rei ablatae vel damni illati, (quod sæpè multò pluris est, quam res succisa valeat) & teneris ad restitutionem. Ita Sotus supra: vbi tamen illud de restitutione intellige, si persona vel Respub. possidens locum solet curare recuperationem talium. alioquin si non solet curare, sed satis ei sit vt comprehensam multam lauat, non erit necessaria restitutio. Vide plura de iure pascendi apud Couarr. pract. qq. c. 37. quæ ideo non adfero, quia variantur pro diuersitate locorum: vnde consuetudo & leges municipales in his seruandæ.

DVBITATIO XV.

*Quomodo acquiratur dominium in thesauros.*

57 *Thesaurus est aueus, quod in crastinum seu futurum reponatur, vt docet Couarr. ex Alciato. Definuntur autem n. de acq. rerum dominio. L. Numquam, 3. v. hoc modo: Thesaurus est vetus quadam Thesaurus depositio pecunie, cuius non extat memoria, vt iam quid. dominium non habeat. Vbi nomine pecunie intelliguntur quæuis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei & argentei. quod si non sit vetus, non censetur thesaurus; vnde non fiet inuentoris; sed si dominus inueniri nequit,*

expendi conuenit in pios vsus, sicut alia bona incerti domini. His positis

58 Dico Primò, Iure naturali & gentium thesaurus transit in dominium inuentoris occupantis, est communi sententia DD. quæ enim nullius sunt, sunt primò occupantis. at thesaurus in nullius dominio censetur: ergo, &c.

Dices, Quid si possit sciri à quorum maioribus sit conditus?

Respond. Non refert; quia quod tanto temporis spatio desit possideri, desit etiam esse in dominio cuiusquam.

Notandum tamen, Ius commune multa circa inuentionem thesaurorum disposuisse, vt patet §. Thesauros. Instit. de rerum diuisione. & L. vnica C. de thesauris. quare hoc ius sequendo

In proprio fundo.

Dico Secundo, Thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris. Instit. supra, vbi dicitur, *thesauros, quos quis in loco suo inuenit, D. Adrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui eos inuenit.* & L. vnica C. de thesauris, idem habetur, addita ratione, *ne Dei beneficium inuidiosa calumnia prosequatur.*

In fundo alieno.

59 Dico Tertio, Inuentus in fundo alieno, (etiam si is fundus Principis fuerit) si quidem fortuito sit repertus, dimidium erit inuentoris & dimidium domini fundi; si autem de industria quæsitus sine consensu domini, totus erit domini.

Prior pars aperte habetur vtroque loco citato; estque seruanda in foro conscientie, etiam ante omnem Iudicis sententiam.

Ratio est, quia hæc dispositio Iuris non est pœnalis, sed definitiua proprietatis rerum; vt rectè docet Nauar. c. 17. n. 175. & Caietan. infra q. 66. ar. 5. & alij passim.

Secunda pars, vt totus sit domini, si de industria quæsitus, non videtur obligare in conscientia ante sententiam Iudicis; sed iussit dare dimidiam partem domino fundi, parte altera dimidia re-tenta. Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis, ad puniendam iniuriam, quam inuentor domino loci intulisse videtur, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Confirmatur ex L. vnica C. de thesauris. vbi sic dicitur, *In alienis verò terrulis nemo audeat inuicis, id est, nec volentibus vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari. quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus inuenit, totum hoc locorum domino reddere compellatur.* Vbi expende verbum *compellatur*, quod indicat legem esse pœnalem, & compulsionem Iudicis esse expectandam.

Dispositio pœnalis.

60 Quando dominus fundi consensit.

Dico Quarto, Si dominus consensit vt quæreret, sciens quid ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est; si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inuentoris. Nauar. cap. 17. nu. 172. & alij. Ratio est, quia tunc videtur illi partem suam condonasse: nisi fortè inuentor certò scierit ibi latere thesaurum, & simulauerit se nihil scire; tunc enim dominus ita deceptus non censetur condonasse, vt rectè Sil. verbo Inuentum q. 3.

Sed difficultas est, si fundus habeat duos dominos, nimirum directum & vtilem; vtri domini dimidium sit restituendum.

61 Resp. & Dico Quintò, Quando fundus hoc modo duobus dominis subest, dimidium erit in-

uentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est diuidendum, tamquam inter dominos loci.

Quid si fundus sit duorum dominorum.

Ex quo sequitur, si dominus vtilis (vt feudatarius, vel emphyteuta) inueniat thesaurum, reddet domino directo tantummodò quartam partem, & sibi reseruat alteram quartam partem, quatenus est eius loci dominus; dimidium verò quatenus est inuentor: quod est contra Nauar. nu. 172. & quosdam alios.

Ratio est, quia idem est inuentor, & sic debetur illi dimidium; & est etiam dominus loci ex parte, vnde ei debetur altera quarta. conductoris autem & vsuarij nulla habetur ratio; quia nullo modo sunt domini. idem dicendum de pignoratore. vide Molinam disput. 56.

De Vusufructuario nudo quæri potest, vtrum censetur hic esse dominus loci. Communis sententia est non cenferi. colligitur ex L. Fructus 7. n. soluto matrimonio, vbi dicitur, *thesaurum inuentum in fundo dotali, in quo vir habet vsumfructum, non deberi viro, sed vxori, cuius est fundus: quia thesaurus non est fructus fundi.* Nauar. tamen nu. 174. & quidam alij putant hunc censendum dominum, & eum quoque qui ad vitam conduxit. Sed quod dixi, est verius.

Vusufructuarius.

Dico Sextò, Qui scit alicubi thesaurum late-re, & emit locum antequam eruat, efficitur dominus totius thesauri. Ita Nauar. nu. 175. & Sotus lib. 5. de Iustitia, q. 3. a. 3. ad 2. & indicat D. Thom. infra q. 66. ar. 5. Idem insinuat in parabola Domini, Matth. 13.

62 Eri potest fundus.

Ratio est, quia eruit illum ex loco proprio; nec tenebatur domino priori indicare, sed poterat vi sua scientia, emendo agrum illum secundum communem æstimationem; ad quam æstimationem nihil facit thesaurus absconditus, cuius nulla habetur suspicio.

Petes, Quid si thesaurus conditus fuerit in re mobili, v.g. in faxis lana plenis, vtrum is qui efficitur dominus lanæ, efficiatur etiam dominus thesauri?

Resp. Non videri hoc ipso effici dominum thesauri; quia non intendit illum occupare. Habet tamen ius illum thesaurum occupandi ante alios. Vnde miles, qui excussit hosti saccos lupulo re-fertos, in quibus erant laminæ aureæ & argentæ reconditæ, non fuit factus dominus illarum; cum illos vendiderit antequam sciret quid lateret.

### DUBITATIO XVI.

Cui cedat, si in loco publico, vel sacro inueniatur.

63 In loco publico. Respondeo & Dico Primò, Si in loco publico, v.g. in flumine, in platea effossa, in via publica inueniatur, totus videtur esse inuentoris; non Principis vel Reipub. Ita Couar. regula Peccatum. p. 3. §. 2. nu. 3. citans pro se Baldum, Cynum, & alios quosdam.

Ratio est, quia Respub. vel Princeps non est dominus talis loci iure dominij specialis, de quo Leges loquuntur; sed dominio iurisdictionis, & auctoritate disponendi.

Dices, §. Thesauros, Instit. de rerum diuisione dicitur, *Si quis in fiscali loco, vel publico, vel ciuitatis thesaurum inuenit, dimidium esse fiscali, vel ciuitatis.*

Resp.

Respon. Per locum publicum non intelligi forum, plateam, vel similem locum, qui proprie nullius est, omnium vñibus deputatus; sed de loco, quem Respublica, specialis dominij iure possidet, vt silua, pascuum, domus, hortus: alioqui dimidium non deberet dari ciuitati, vtibi dicitur, sed potius Principi.

Probabile est dimidium esse Principis.

Fateor tamen contrariū esse probabile, quia ple- riq̃e Iurisperiti ita sentiunt, teste Couar. supra. Aduerte, quando agitur de loco publico, nihil interesse vtrum fortuito ibi repertus sit, an de industria quaesitus. Ratio est, quia locus publicus non censetur alienus, sed communis; distinctio autem illa solum locum habet in loco alieno.

64 In loco sacro casu inuentus

Dico Secundò, si inueniatur in loco sacro vel religioso casu fortuito, totus est inuentoris, vt patet §. Thefauros. Instit. de rerum diuisione. Idem habet Glossa ad ca. Si quid inuenisti 14. quaest. 5. & Summa Rosella verbo Furtum n. 111. Contrarium tamen etiam est probabile, quod tenet Couar. & multi alij: qui docent dimidium deberi Ecclesiae vel Praelato, quia Ecclesia & Praelatus habentur pro domino loci facti. Verius tamen puto quod dixi; quia Iustinianus, etsi optimè nouerat conditionem locorum sacrorum apud Christianos; tamen in suis Institutionibus confirmauit Legem Adriani, cuius haec est dispositio. vnde cum Ius Canonicum ei non derogauerit, videtur seruanda. Intellego autem haec de locis sacris & religiosis omnino publicis, quae in Iure dicuntur esse nullius; secus de monasterijs & similibus, quae specialis dominij iure possidentur.

Inuentus inuiso.

Dico Tertio, Si data opera inuentus sit in tali loco, dimidium cedit Ecclesiae.

Probatur, quia Ecclesia censetur dominus talis loci. vnde secundum Legem vnicam, C. de thesauris, debetur ei dimidium.

Dices: Ergo etiam debetur dimidium, si fortuito.

Resp. neg. conseq. quia obstat aliud Ius particulare, quod aliter in eo casu disposuit.

DVBITATIO XVII.

Quid si per magiam repertus sit.

65 Arte magica repertus.

Resp. In eo casu pertinere ad fisco. Ita communiter DD. ex L. vnica. C. de thesauris.

Notandum tamen, inuentorem non teneri illum tradere antequam à Iudice compellatur; vt rectè Nauar. n. 17 §. Ratio est, quia lex illa poenalis est, & quidem sententiae ferenda, non lata. Nihil enim aliud dicit Imperator, quam se cuique in suis locis tribuere facultatem querendi thesaurum, & inuento fruendi; dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificijs aut alia qualibet arte legibus odiosa quaeratur. hic nullum verbum habet quo illum re ipsa priuet inuentus.

66 Porro hic aduertendum est, Primò, Si hic thesaurus quaesitus sit in loco alieno arte magica, solum eam partem adiudicandam per sententiam fisco, quae fuisset inuentoris; quia dominus loci ob maleficiū alterius non debet suo iure priuari.

Secundò, ea quae hactenus dicta sunt de thesauris, procedere secundum Ius commune. quòd si in aliqua Prouincia sint aliqua leges particulares, vel consuetudines hac de re iusta, sunt seruandae.

Quod autem quidam dicunt, consuetudinem habere vt thesaurus vbius inuentus sit Principis, hoc multi censent non obligare in conscientia, vt Sil. verbo Inuenta. n. 13. Sorus l. 5. de Iustitia q. 3. a. 3. ad 2. quem vide. Sape tamen potest iusta subesse causa vt pars aliqua Principi assignetur: vt si tale subsidium iudicaretur necessarium ad onera Reipub. sustinenda: vt autem totus applicetur, durum videtur; quia valdè difficile est, & dissonum Iuri naturali. Fateor tamen, contrarium non esse improbabile, quod tenet Couar. supra n. 4. quamuis rationes ipsius non conuincant.

An Principi totus seruandus.

DVBITATIO XVIII.

Quenam dicantur haberi pro derelicto, ita vt dominium eorum concedatur primò occupanti.

67 Resp. & Dico Primò, Pro derelicto haberi, quod dominus ea mente abiecit vt id in numero rerum suarum esse nolit; vt patet §. pænult. Ho. Instit. de rerum diuis.

Vnde sequitur, ea quae in tempestate proiciuntur, leuanda nauis causa, non haberi pro derelicto; vt dicitur §. vlt. supra. quia ea libèrissimè dominus seruaret, si posset; & postquam proiecit & in portum euasit, summè desiderat ea recuperare. Vnde iniqua est consuetudo, quae in quibusdam locis seruatur, vt dominus Prouincia, vel territorij, bona naufragorum tamquàm adēuota, id est quae possessore careant, occupet. Nam praeterquam quòd sit contra Ius naturale, vtpote alieni occupatio, & magna in miseris crudelitas, est etiam contra Ius Caesareum, Auth. Nauigia, C. de Furtis. Et si sint bona Christianorum, occupantes ea incurrunnt excommunicationem Bullae Coenae Domini. de quo vide Nauar. c. 27. n. 60. & 118. & Couar. ad reg. Peccatum p. 3. §. 1. n. 5.

Bona nauis fragorum.

Dices, Quid si ea res certo fuerit peritura, nisi ego eripuissem (vt saccharum, frumentum, farina, papyrus) possumne retinere?

Resp. Non potes, quia (vt habetur ex L. Pomponius. 44. 7. de acquirendo dominio) qualibet res nostra, quantumcumque periclitetur, manet nostra, quamdiu non est consumpta; nempe si cupimus eam nostram manere. Vt si ouis nostra ex faucibus lupi eripiat, aut domus ab incendio, nostra manet. Vnde quod ait Nauar. c. 17. n. 99. posse nos talia retinere, si cum aliquo vitæ periculo ea ex vñdis eripuerimus, non est absolute verum; nisi quando rationabiliter credi potest, dominum permittere res huiusmodi, siue eiectas, siue ex naufragio periclitantes, ei, qui se periculo voluerit exponere; vt quando res illae statim essent periturae, & non sine discrimine possent recuperari, ita vt periculum ferè tantum aestimetur quanti res ipsa: tunc enim etsi dominus ius habet rei vindicandae, tamen recuperator potest exigere aestimationem sui laboris & periculi. Vnde si dominus nihil dicat, poterit retinere tamquam ratione periculi concessam.

Dico Secundò, Pro derelicto etiam haberi videtur res ea, quae fluctibus procul abrepta est, & dominus sciens vbi sit quaerenda, non curat eam recuperare; vel quia eam parui facit, vel quia essent magna expensae faciendae.

Quando res potest recuperari, sed dominus non vult.

Probatur, quia dominus rem talem non videtur velle habere in bonis suis, ob incommodum coniunctum. secus est quando omnino vellet eam recuperare, si aliquo modo posset.

Quando nulla est spes recuperandi.

Addunt quidam, rem etiam haberi pro derelicto, quando dominus ita eam proicit vel relinquit, vt nulla ei spes superfit industria ali-

qua vel aliquo casu eam recuperandi. Itaque tunc si ego extraordinaria industria eripiam, vel saluem, efficiam meam. Ita Petrus Nauarr. l. 4. c. 1. nu. 58. sed non existimo id esse verum; nisi dominus significauerit se eam concedere occupanti; vel aestimatio industriae sit ferè par illi rei.

## CAPVT SEXTVM.

### De modo acquirendi dominij in rem alterius absque eius consensu; quod fit præscriptione.

Habet Dubitationes 18.

**A**CTENVS diximus de modo acquirendi dominij in res quæ nullius sunt, vel communes: sequitur vt explicemus quomodo acquiratur in res, quæ dominum habent; seu, quo modo dominia ab alio in alium transferantur. Generatim autem transferuntur vel volente priore domino, vel invito. Volente transferuntur tripliciter; donatione, vltima voluntate, contractu, de quibus infra. Invito totidem modis. Primò, iure gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo sup. 2. 2. q. 40. quæ est de Bello. Secundò, auctoritate alicuius legis particularis; idque vel sine culpa domini, vt lege præscriptionis: vel ob culpam eius, vt ob crimen hæresis, læsæ maiestatis, incestus nuptias: de quo 1. 2. q. 96. Tertio, sententia Iudicis; vt si fur damnetur in quadruplum; qui modus etiam obligat in conscientia, quando sententia non nititur falsa præsumptione. de quo infra, sect. 4. Itaque ad præsentem locum solum pertinet tractatio de Præscriptione.

#### DVBITATIO I.

##### Quid sit Præscriptio & Vfuscapio.

**N**otandum est, nomen præscriptionis tripliciter accipi apud Iureconsultos, (vt colligitur ex Couar. ad reg. Possessor, in principio, & §. vnico, relectione 1.) 1. generatim, vt idem sit quod exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore; vnde cum exceptio sit vel dilatoria, (vt si opponas, iudicem non esse competentem, testes infames, actorem excommunicatum,) vel peremptoria, (vt si opponas te mandato Principis fecisse; iam antè soluisse quod petitur) etiam præscriptio erit vel dilatoria vel peremptoria. Hoc modo accipitur in titulo De exceptionibus & præscriptionibus, lib. 44. Digestorum. Simili modo accepit Tertullianus, inscribens librum suum De præscriptionibus aduersus hæreticos: agit enim de illis, quæ hæreticis per suam doctrinam veluti litem intentantibus opponi possunt à Catholicis, ne ab eis vincantur.

Secundò, accipitur specialius pro exceptione peremptoria proueniente ex eo, quod tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel iure aliquo vsi sumus, vel quod alius tali tempore ab vsu alicuius Iuris cessauerit, vt docet Couar. su-

prà §. vnico nu. 4. & patet ex titulis, C. de præscriptione longi temporis. & de præscript. 30. & 40. annorum.

Tertio, accipitur pro dominij acquisitione, vel iuris alieni elisione, ex tempore legibus definito proueniente. Hoc modo dicimur præscribere domum, vineam, agrum, id est, acquirere dominium domus, vineæ, agri. Verùm sic non accipitur in Iure ciuili, sed in iure Pontificio, & passim ab Interpretibus vtriusque Iuris; vt docet Couar. nu. 6. Ratio cur sic acceperint est, quia qui dominium alicuius rei per continuatam eius possessionem comparauerat, si impetebatur à priore domino, præscribebat. i. excipiebat, & opponebat certi temporis possessionem, per quam fecerat rem suam: & ita eius actionem perimebat. Hinc ipsa vsucapio & dominij acquisitio cepta est vocari præscriptio; cum tamen præscriptio ex vsucapione oriatur, vt patet L. Emptor. 7. C. de præscriptione longi temp.

Ex his patet quid sit præscriptio. Nam si priore modo capiatur, nihil est aliud quam exceptio, seu oppositio aduersus actionem actoris.

Si secundo modo, est exceptio peremptoria contra priorem dominum, ex tempore legibus definito vim habens.

Si tertio modo, est dominij acquisitio, vel alieni iuris, siue realis, siue personalis peremptio, per continuationem temporis lege definiti. Vbi Aduerte, si acquisitionem dominij paulò latius accipiamus, non opus est addere illam partem (vel alieni iuris peremptio) quia qui ius alterius perimit, acquirit dominium suæ libertatis; liberatur enim obligatione, qua alteri erat obstrictus. rectè tamen additur causa claritatis.

Vfuscapio verò est acquisitio dominij per continuationem temporis lege definiti. Ita habetur L. 3. π. de Vfuscap. quæ definitio causaliter est intelligenda. Vfuscapio enim est causa acquisitionis dominij. formaliter autem videtur esse possessio quædam rei aliena. Vnde dicimus Vfuscapionem interrompi. Potest tamen etiam accipi pro ipsa acquisitione formali dominij. nemo enim dicitur res vsu cepisse, nisi iam dominium acquisierit.

Ex his colligi potest quomodo præscriptio ab vsucapione differat: si enim primo vel secundo modo sumatur, res est clara: quia præscriptio his modis est oppositio contra actorem. si tertio modo, sic est magis commune quam vsucapio. omnis enim vsucapio est præscriptio, non contra. Nam præscriptio, qua extinguitur actio personalis vel realis